



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theses Theologicæ Apologeticæ Et Miscellanæ,
Adversvs Doctrinam Cornelii Iansenii Propvgnatam Ab
Eivs Patronis Svb Prætextv Qverimonix Typographi
Lovaniensis**

Derkennis, Ignatius

Antverpiæ, 1641

Amice Lector

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73743)

THESES THEOLOGICAE
 APOTHECIS
 ET MISCELLANEA
 ADVERSUS DOCTRINAM
 CORNELII AMICE LECTOR

Multa sunt quae diu suasere, nihil reponere libellis iis, qui à Iansenij Patronis vulgati circumferuntur. Inprimis quia nimis friuolus praetextus est *Querimonia* vnius Typographi, vbi de rebus grauissimis disceptatur. Deinde quia operæ pretium vix videbatur respondere iis, qui sub alieno idiotæ nomine delitescunt suum erubescunt. Quia denique nullius propè momenti est, quod Thesibus Anti Iansenianis haecenus opponitur: vt has abundè pro seipsis loqui peritorum iudicium sit. Verùm quia non pauci sunt, quos momenta rerum hinc inde conferendo expendere aut piget, aut non vacat; aut qui etiam non satis valent: quod proinde genus hominum superficiei rerum contentum, aliquid fortasse *Querimonia* istis tribuere posset, visum tandem fuit (aliis insuper quibus veritas in re tanta curæ est, & auctoritas magna, impellentibus) dicto etiam hominum generi satisfacere. Accipe igitur breuem Thesium nostrarum per Theses defensionem: aut si placet, nouam doctrinæ Iansenianæ, & Iansenianorum, qui eam suam faciunt, oppugnationem. Atque id, amabo, sedulò tecum ipse expende, quàm mutilum sit illud Iansenij patrocinium, vbi vnus, aut alter dubius locus (imò subinde non dubius) per nescio quas ambages, à germano sensu detortus, atque à reliquo contextu, qui lucem addere posset, avulsus, tot euidentibus Scripturæ, Conciliorum, sanctorum Patrum, Doctorumque testimoniis (quæ omnia ab Aduocatis illis dissimulantur) opponitur.

AMICE LECTOR
 APOD IOANNEM MEVSIVM
 ANNO MDCXII